

D. AVRELII AV

GVSTINI TAM IN VETVS QVAM

in nouum Testamentum Commentarij, ex

omnibus eiusdem Lucubrationibus per

Ioannem Gastium Brisacensem colle-

cti, denuo recogniti & quam di-

ligentissime castigati.



V E N E T I I S

Ex officina Erasmiiana apud Vincentium Vaugris:

M D X L I I I.



REVERENDISSIMO IN CHRIS-

STO PATRI, EIDEMQUE ILLUSTRISSIMO PRIN-

cipi ac D. Domino ERASMO. Episcopo Argentoratensi, Langra-
uio Alfatæ, Baroni à Limpurg, &c. uiro doctrina & pietate

eximio, IOANNES GASTIVS Brisacensis, in-
crementum spiritus Christi & perpe-
tuam felicitatem precatur.

Eminè non constat, Reuerendissime in Christo Pater ac Illustrissi-
me Princeps, in sacrosanctam ueteris & noui testamenti scriptur-
am uarias partim à bene doctis, partim etiam eruditionis solùm
specie sese uenditantibus, tam præterito quàm nostro hoc nimium
certè iniquo seculo, expositiones in lucem diuulgatas, & à multis
summa diligentia esse lectas, ita ut quod cuique approbatum, suo què instituto ac-
commodum uideretur, id ipsum sibi usurpandum existimaret, uel adfirmans, rhe-
torico què schemate aliquo expoliens: uel si ei quod ille conabatur probare, cõtra-
rium, aut minus consonum esset, omninò reiiceret. Quidam uerò sine omni in-
tellectu, loca quædam scripturæ, salua humanarum cõstitutionum, omnibus mo-
dis cum uerbo Dei & Concilijs cecumenicis pugnantium, ita deprauarunt obscu-
rarunt què, ut ferè synceri relictum sit nihil. Quum interpretationem sanam ex li-
bris diuinis sumere, locum scripturæ obscurum ad alterum qui lucidior accõmo-
dare, & in hunc sacrũ scopum omnia dirigere: aut ad orthodoxos ecclesię patres,
ubi locus ab hæreticis uariè detortus expositus què esset confugere, quò Dei glo-
ria (quæ præcipuè huc quaerenda) per Christum toti mundo magis magis què in cla-
resceret, debuissent. Siquidem lumen expositionis, teste Augustino, à Domino re-
quirendum. Qui enim in diuinis sua quærit, aut in donis à Deo benigna manu col-
latis superbit, cū nihil tam diuinæ cognitionis quàm humanæ nobis sit, quod non
ab ipso hauserimus, quid aliud agit, quàm Lucifer ille, qui merito ob tam enorme
peccatum è coelo atque angelorum consortio detrusus est? Profectò ingratitude
illas multas hæreses, interpretationes ualde diuersas, & opinionum pelagus ni-
mirum peccatis nostris id exigentibus inuexit, imò Germaniam totam hi suis
dogmatis inuentionibus què nocentissimis ad eò turbarunt, & conciderunt, (Pau-
lino uti uerbo liceat) ut pauci iam, quod dolendum uehementer est, ueri theologi
euangelij luce, & trium linguarum cognitione tam clarè coruscantibus, reperia-
tur. Palàm etiam est, quàm procul à scripturæ sententiã seditionis rusticanae autho-
res aberrarint, qui scripturam de libertate spirituali loquentem, mira uafricie ad
ciuilem libertatem detorserunt. Inde hi tumultus omnes nati sunt, quod homines
uel parum oculati, uel impij sua somnia attulerunt ad scripturam, non sententiam
spiritus sancti ex scriptura (ut oportebat) collegerunt. Etenim sacra Christianæ do-
ctrinæ anchora ubi è manibus decidit, ad quam unam in tanta humanarum opi-
nionum tempestate confugere tutò licebat, non mirum, in ecclesia multas dissen-
siones & schismata existere. Nemo itaque, nisi mente captus, euangelij lucem illis

A COMMENTARIA EX OMNIBVS
D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS
EPISCOPI OPERIBVS IN LIBRVM

Geneseos decerpta.

CAPVT PRIMVM.

Ex Libro I. Gen. contra Manichæos. Cap. I. Tomo I.

I N PRINCIPIO fecit Deus cœlum & terram. Cœli & terræ nomine
uniuersa creatura significata est, quam fecit & condidit Deus. Ideo au-
tem nominibus uisibilium rerum hæc appellata sunt, propter paruulo-
rum infirmitatem, qui minus idonei sunt inuisibilia comprehendere.

Ex Lib. de Gen. ad Lit. imperf. Cap. II. Tom. III.

B Quæri potest, utrum tantummodo secundum historiã accipiendum sit, an etiã
figurate aliquid significet, & quomodo congruat euangelio, & qua causa liber iste
sic inchoatus sit. Secundum historiã autem quæritur quid sit. In principio, id est,
utrum in principio temporis, an in principio, in ipsa sapientia Dei, quia & ipse Dei
filius principium se dixit, quando ei dictum est: Tu quis es? & dixit: Principium
quod & loquor uobis. Est enim principium sine principio, & est principium cum
alio principio. Principium sine principio solus pater est, ideo ex uno principio
esse omnia credimus. Filius autem ita principium est, ut de patre sit. Ipsa etiam pri-
ma creatura intellectualis, potest dici principium his, quibus caput est, quæ fecit De-
us. Cùm enim rectè appelletur principium caput, in illa gradatione Apostolus mu-
lierem tamen non dixit caput alicuius. Nã & uirum dixit caput mulieris, & caput
uiri Christum, & caput Christi Deum, ita creatori creatura subnectitur. An ideo in
principio dictum est, quia primùm factum est? An non potuit inter creaturas pri-
mùm fieri cœlum & terra, si angeli & omnes intellectuales potestates primùm
factæ sunt? Quia & Angelos creaturam Dei & ab eo factos credamus necesse est.
Nam & Angelos enumerauit Propheta in 148. Psalmo, cùm dixit. Ipse iussit & fa-
cta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sed si primùm facti sunt angeli, quæri po-
test utrum in tempore facti sint, an ante omne tempus, an in exordio temporis? Si
in tempore, iam erat tempus antequam angeli fierent. Et quoniam etiam tempus
ipsum creatura est, incipit necesse esse ut aliquid priusquam angelos factum acci-
piamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut cum ipsis coeperit tēpus,
dicendum est falsum esse quod quidam uolunt, ante cœlum & terrã tempus esse
coepisse. Si autem priusquam tempus Angeli facti sunt, quærendum est quomo-
do dictum sit in consequentibus. Et dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœ-
li &c. Hinc enim potest uideri, tunc coepta esse tempora, cùm cœlum & lumina-
ria cœli ordinatis itineribus currere coepissent: quod si uerum est, quomodo pote-
runt dies esse antequã tempus esset, si à cursu luminarium tempus exorsum est,

A que